
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

DA BOX

No 2088.



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

ORATIO
in Funere inclytæ Heroinæ
ELISABETHAE,
FRIDERICI I. DANIÆ REgis filiæ, & Jll^mi. optimiq́ principis VLRICI, Ducis Megapolitani &c. coniugis, piè defunctæ:

Habita Guſtrouiæ, die 23. Nouemb. anno 1586.

A

DAVIDE CHYTRÆO.

Adiecta eſt Ill^mæ Dominæ ELISABETHÆ, *& agnatorum Daniæ Regum, ac ducum Holſatiæ : & Ill. Ducis* VLRICI *Megapolitani maiorum Series, à ſedecim abauis deducta.*

Vna cum vtriuſq; familiæ, Danicæ, & Megapolitanæ, INSIGNIBVS, carmine deſcriptis.

ROSTOCHII
Excudebat Stephanus Myliander.

24,4

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Illuſtriſsimo Principi & Domino,
D. VLRICO, DVCI MEGAPOLITAno, Principi Henetorum, Comiti Suerini, Domino Roſtochij & Stargardiæ, Domino clementiſsimo.

FILIVM DEI *ſeruatorem noſtrum* Ieſum *Chriſtum, à cuius Genethlijs, quæ æternæ ſalutis noſtræ exordium fuerunt; Anni etiam noui principium in eccleſia dùcimus; toto pectore precor, vt Annum venientem,* Illuſt. Celſ. T. *& toti reipub. ac eccleſiæ Chriſtianæ, fauſtum, felicem, tranquillum & ſalutarem clementer tribuat, &* Celſ. T. *incolumem ac florentem diutiſsimè ſeruet. Cùm hiſce votis,* Orationem, *in exequijs funebribus* Illuſtriſs. *coniugis tuæ,* Heroinæ Eliſabethæ, *ſolenni eccleſiæ* Chriſtianæ *ritu,* Guſtrouiæ *nuper religioſè celebratis, iuſſu* Celſitudinis *tuæ, à me pronunciatam, & typis in plura exemplaria deſcriptam, reuerenter* Illuſtriſs. Celſ. T. *offero, dico, ac conſecro. Maluiſſem ſanè, alio lætiore & omnibus ſubditis gratiore officio,* Celſ. *tuæ, ſubiectiſsimum ſtudium, & obtemperandi voluntatem, declarare. Sed cùm* Deo *patri cœleſti, certa vitæ & mortis tempora ſingulis diſpenſanti, viſum ſit, fidem & obedientiam noſtram hac occaſione potiſsimùm probare: oro, vt triſte hoc miniſterium, & lugubrem* Orationem, Celſ. T. *clementer accipiat: & beneuolentiam erga me ſuam, totos iam triginta ſex annos, dum in* Celſ. *tuæ ſchola, diſcentium ſtudijs pro mea tenuitate ſeruio, multis illuſtribus & paternis beneficijs mihi demonſtratam, deinceps etiam, breui hoc ſpaciolo vitæ meæ reliquo, benignè conſeruet. Ad improbas enim quorundam obtrectationes, qui carpendis ac exagitandis aliorum ſcriptis & factis, magni & ſapientes videri volunt; ipſi meliora non condunt, aut proferunt, iam dudum occallui: abunde contentus, ſi* Deo *& illuſt.* Celſ. T. *ſtudium meum non improbetur.* DEVM *oro, vt nos doceat & gubernet, &* Illuſtriſs. Celſ. T. *incolumem & florentem perpetuò tueatur.* Datum *in* Celſ. T. *vrbe* Roſtochio: Pridie Natalis Filij Dei *inchoantis annum* 1587.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

ORATIO
IN FVNERE INCLYTÆ DN. ELISABETHÆ, CONIVGIS ILLVST. PRINCIPIS VLRICI Ducis Megapolitani &c. recitata.

LVmen Reipublicæ, & præſidium ac decus ſummum, totis gentibus ſalutare, eſt Princeps Bonus, Dei imaginem & vices in terris gerens, per quem notitia DEI vera, honeſtæ leges, iudicia, defenſio bonorum, pœnæ nocentum, diſciplina denique, & Pax publica, in populis ipſi ſubiectis conſtituta & conſeruata viget, lateq́ʒ ſpargitur & pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

pagatur. Coniunx verò Principis, conſiliorum, curarum & laborum adiutrix, pia, prudens, ſtudioſa ſalutis publicæ, nutritia eccleſiæ & pauperum, materno amore rempublicam & ſubditos complectens, & œconoma induſtria, diuinitus accedens; alter Reipublicæ oculus eſt, ac vt ſol mundi oculus in excelſo cœlo mirificum totius pulcherrimi rerum naturæ theatri decus: ſic illa, non mariti tantùm ſui corona, ſed totius etiam prouinciæ ac regni lumen, & præcipuum eſt ornamentum.

Talem Illuſtriſsimi & optimi principis & patris noſtri, VLRICI, ducis Megapolitani, domini noſtri clementiſsimi, coniugem Heroicam, ingenio, prudentia & virtute præſtantem, Elizabetham, totos triginta annos, fidiſsimum marito curarum leuamen, & communem Reipublicæ ac ſubditorum matrem fuiſſe; cùm omnes boni & cordati ſentiant: meritò, alterum hoc patriæ noſtræ lumen iam extinctum, totius Reipublicæ cauſa vero pectore lu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

re lugemus. & planctu ac lachrymis Illuſtriſſimi principis & patris patriæ, qui hanc vitæ & laborum ſociam fidiſſimam, & alteram animi ſui partem, à ſe auulſam, ardenter deſiderat, & amiſſam mœret; iuſtè commouemur. eiq; doloris & luctus ſocietate, ſubiectiſſimum amorem & reuerentiam ac fidem noſtram declaramus. Quam nulla ratione alia, & Celſ. ipſius & omnibus ordinibus gratiore, quàm pia & ardenti precatione pro illuſtriſſimæ celſ. ipſius incolumitate & ſalute, vt diu adhuc patriæ, paterna fide, & felicitate Heroica, in gubernatione proſit: & grata prædicatione ac memoria virtutum dominæ defunctæ, hoc tempore oſtendemus.

Etſi enim hos funerum & ſepulturæ ritus eccleſia, non memoriæ tantùm & laudationis defunctorum præcipuè, multò minus oſtentationis & pompæ inanis cauſa, vt ethnici, celebrat: Verùm multò magis, vt de Morte, nobis omnibus, ſingulis momentis impendente, & cauſis mortis & triſtiſſi-

marum calamitatum generis humani Peccato & Ira DEI ardente, vindicibus flammis ſibi quæ contraria morte delet: de firma et efficaci conſolatione morti opponenda, Filio DEI Domino & Seruatore noſtro Ieſu Chriſto pro nobis victima facto, mortuo & reſuſcitato, vt nobis à peccato & morte liberatis Iuſticiam & vitam æternam reſtitueret: de extremo iudicio, quod ſinguli poſt mortem ſubituri ſunt: de ſupplicijs Impiorum, & gaudiis piorum æternis, mortem ſecuturis: ſeriò cogitemus. atq; ita nos hominum ex hac vita diſceſſum, à pecudum morte diſcernere teſtemur: & coniunctis precibus mitigationem publicarum calamitatum à DEO exoremus: & ſuam quisq; vitam & mortis iter à DEO regi & gubernari petamus: De grauiſsimis, inquam, hiſce, & maximis rebus, vt commonefiant ac erudiantur viui & ſuperſtites, etſi funerum ritus præcipuè in eccleſia ſeruantur: de quibus aulæ Danicæ eccleſiaſtes, poſt me dicturus, qui emigranti ex hac vita Ill. Dn. Eliſabethæ

adſu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

adfuit, copioſiùs fortaſſe diſſeret tamen: cùm DEVS ipſe excellenti virtute aliquas illuſtres perſonas ornet, & has commemorari & laudari velit, vt ipſe author virtutum agnoſcatur, & alij in earum exempla intuentes, imitari illa, & vita ac moribus exprimere ſtudeant: decreui, cùm dicere hoc loco iuſſus ſim, Deo iuuante, de vita & obitu Eliſabethæ principis defunctæ, omnibus iis virtutibus, quas tanquam Flores decorum matronalium, in vnam coronam textos, Paulus coniungit, ornatæ; orationem hoc loco, exiliorem fortè iuſtò & ipſam lugendam, ſed tamen amoris & reuerentiæ erga Illuſtriſſimos Principes patriæ teſtem, & ab hoc tempore & loco non planè vt exiſtimo, abhorrentem, habere. DEVM æternum, authorem omnis virtutis; et bonorum principum datorem ac cuſtodem; & fontem omnis eloquentiæ ſalutaris; ardentibus votis precor, vt meam mentem ac linguam gubernet, ne quod verbum mihi, DEum offendens, vel aliorum vitæ ac moribus officiens,

impru-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

imprudenti fortè elabatur. A vobis etiam Illuſtriſsimi Principes, & nobiliſsimi proceres, ac omnium ordinum homines doctrina & virtute ornatiſsimi, reuerenter & officiosè peto, vt dicentem, clementer, benignè attenteq́; audiatis.

Magnum decus est, ex bonis & præſtantibus naturis, in familijs Heroicis, natum eſſe. quas cùm Deus reliquæ hominum multitudini regendæ præfecerit: motus etiam animorum acriores meliores ac feliciores, & vim naturæ præſtantiorem, in ijs propagare exiſtimatur. Sed maiora ſunt ad virtutem adiumenta, parentum pietas, inſtitutio doctrinæ, honeſta exempla, adſuefactio nati, & diſciplinæ ſanctitas. Etſi igitur multi, ineptè, laudem, ex maiorum virtute peti, cenſent: qui genus & proauos & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra putant: & ſuperuacaneam nobiliſsimæ ſtirpis & laudatiſsimorum parentum, ex quibus ortam eſſe Dominam defunctam omnes ſciunt, commemorationem iudicabunt:

tamen

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

tamen, iunioribus & poſteris, nota eſſe principum præſtantium Nomina, & Genealogias, prodeſt: vt virtutem Heroicam, in his nobiliſsimis familiis, quarum patrocinio & tutelæ Deus arctoum hunc orbem & Germaniæ partem ad littus Balthicum regendam ſubiecit, agnoſcere diſcant: & Deo gratias agant, quòd ſapientes, iuſtos, moderatos & ſalutares principes his regionibus tribuit: eumq́; orent, vt deinceps etiam tribuat: eosq́; clementer defendat, ſeruet & gubernet.

Parentes igitur Illuſtriſsimæ principis noſtræ, non modò Heroica generis regij nobilitate, verùm etiam vera in Deum pietate et amore cœleſtis doctrinæ præſtantes, fuerunt: Pater, FRIDERICVS I. Daniæ Rex, filius Chriſtiani: qui primus ex vetuſtiſsima comitũ Aldenburgenſium ſtirpe, ad regni Daniæ faſtigium ſingulari fortuna et felicitate diuina aſcendit: et Hafnienſis Academiæ fundamenta prima iecit. cuius Chriſtiani coniunx laudatiſs. DORothea, Ioannis marchionis Brandeb. non Se-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

ptemuiri, ſed patrui illius, Voitlandiæ Domini, filia fuit. Mater verò Illuſtriſs. Dominæ ELISAbethæ, SOPHIA, inclyti Pomeraniæ ducis BVGISLAI X. verè Heroica virtute & felicitate à Deo ornati, filia: & Georgij ac Barnimi ſoror. Quæ marito regi Friderico, tres filios, Elizabethæ noſtra ex vtroq; parente fratres, genuit: JOANnem ſeniorem ducem Holſatiæ principem pium, clementem, iuſtum, & eccleſiæ ac Scholarum nutritium, qui ante ſexennium Calendis Octobris ex hac vita celebs diſceſsit: ADOLphum, principem fortem & magnanimum belli ducem, qui
1586. *eadem die, hoc anno, fratrem ſecutus eſt: & diebus 14. ſororis Elizabethæ ex hac vita migrationem præceſsit: FRIDericum epiſopum Hildeſienſem, electum Bremenſem,*
1556. *iuuenem, anno ab hinc trigeſimo, ex ſtatione*
27. Octob. *ſua abreptum: & totidem filias. ex quibus maxima natu ELIzabetha, Illuſtriſsimi Ducis VLRICI coniunx cariſsima, nunc proh dolor à nobis abducta, anno*

Chriſti

Chriſti 1524. in hanc lucem primùm edita eſt. cuius ſorores ex vtroq; parente, Anna; & DOROThea Illuſtriſsimi principis CHRIſtophori Ducis Megapolitani vxor, cui hoc ipſo in loco, & his ipſis diebus, ante vndecim annos, oratione noſtra mœſti parentauimus, fuerunt. 1575. 8. Decemb.

Cariſsimum verò, Ill. princeps noſtra, & optimum fratrem ex patre ſolo, annis vno et viginti ſe natu maiorem, CHRIſtianum III. Daniæ regem, cuius laus in eccleſia ſanctorum & memoria in benedictione eſt, habuit. qui Dominam noſtram, non tam propter naturæ et ſanguinis vinculum arctiſsimum, quàm virtutum illius pulcherrimarũ, iam tum ex puella nondum decenni elucentium admiratione, paterna planè στοργῇ complexus ardentiſsimè toto vitæ tempore dilexit. Suſceptus hic erat, cum ſorore DORothea ſeniore, ex prima Friderici coniuge ANNA, filia Ioannis Septemuiri Brandeburgenſis, cuius ex fratre Ioachimo I. neptis, Anna, Illuſtriſsimorum principum no-

 ſtrorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

ſtrorum, JOAnnis Alberti, VLRIci, GEORGII (quem ante 34. annos, pro libertate Germaniæ & eccleſiarum noſtrarum, vna cum fortiſsimis Heroibus Mauricio duce Saxoniæ, Ioanne Alberto duce Megapolit. VVilhelmo Haſsiæ principe propugnantē, tormento ex Francofordia ad Mœnum obſeſſa, ictum cecidiſſe, & Suerinæ humatum eſſe, plerią; recordamur) & cæterorum principum fratrum, CHRIſtophori & CAROLI Ducum Megapolitanorum, mater fuit.

1525. Dorotheam verò, Chriſtiani ſororem, proximo poſt natam Elizabetham anno, rex Fridericus, Alberto Boruſsiæ Duci primo deſpondit. cui filiolos aliquot, in prima infantia defunctos, & filias: ac in his, Illuſtriſsimam Dominam Annam Sophiam, optimi & laudatiſs. principis Ioannis Alberti domini noſtri clementiſsimi coniugem procreauit: JOHannis & Sigiſmundi Auguſti, iuniorum ducum Megapolitanorum matrem. quæ, cum filijs principibus, paternæ virtutis veſtigia iam ingreſsis, triſti huic materteræ ſuæ funeri, præſens intereſt.

Cùm autem in hac regum & principum ac Heroinarum ſerie, aliquot excellenti virtute

tute ornati emineant ac eluceant: toto pectore DEO gratias agamus, quod talium principum imperio ac tutelæ harum gentium libertatem, fortunas & ſalutem tuendam commendauit. & ardentibus votis precemur, vt optimos ac Jlluſtriſsimos principes noſtros deinceps etiam clementer gubernet & adiuuet, & incolumes ac florentes perpetuò ſeruet.

Ab his Heroicis parentibus, ſemina virtutum, noſtra princeps accepit, quæ parentum adſuefactione, diſciplina, præceptis & admonitionibus, initiò exculta; deinde fratris regis Chriſtiani exemplis, Deo eam docente ac regente, aucta & amplificata; in excelſam & pulcherrimam hanc arborem, omnium virtutum fructus vberrimè ferentem, & multis populis vmbram & alimenta & virtutum exempla præbentem, excreuerunt. Cùm enim vterq; rex, Fridericus pater, & Chriſtianus filius, vera fide ac inuocatione Deum coleret: & in eccleſiis patriæ doctrinam filij Dei ſinceram liberis

ac ſubditis ſuis diſcendam, proponi curaret, & in reliqua gubernatione iuſtus, beneficus & moderatus, & in priuata vita caſtus eſſet: ad earundem virtutum amorem, ac imprimis veræ pietatis officia, ſuis monitis ac exemplo, tum liberos regios, tum reliquum populum inuitabat.

In hac regia ſchola pietatis & cæterarum virtutum princeps noſtra educata & perpolita, de conſilio Sereniſsimi & optimi regis fratris Chriſtiani III. Jlluſtriſsimo, & omnium, qui eo tempore in Germania
1443. *vixerunt, literatiſsimo principi MAGNO, Duci Megapolitano (cuius doctrinæ, & bonitatis, ac prudentiæ teſtes, circiter centum epiſtolæ, propria manu, pleræq; latinæ, ad magiſtrum olim ſtudiorum ipſius primum, Conradum Pegelium ſcriptæ, adhuc in promptu ſunt) MAGno inquam Duci Megapolitano, Henrici filio & hæredi vnico in matrimonium tradita eſt. cum quo, in conſuetudine plena pietatis & ſuauitatis, ſumma fide & concordia, ſexennium ſolummodo*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

modo vixit. Cùm enim mariti principis Magni magnum & præſtans ingenium, in domicilio corporis debili ac eneruato & multis ægritudinibus obnoxio habitaret: aucta ſenſim imbecillitate, annum ætatis quadrageſimum vix egreſſus, ſummo cum iuuenculæ coniugis, & patris ſenis ſeptuagenarij, & omnium ſubditorum dolore & luctu, ex hac vita emigrauit. 1550.
Acerbiſsimum verò mœrorem, etſi princeps vidua, nimium maturè marito, florentibus adhuc iuuentæ annis orbata, circumferebat: tamen lectione & auſcultatione verbi & conſolationum diuinarum aſsidua, ad quam à teneris annis adſueuerat, & precatione ardenti, ac fiducia beneuolentiæ DEI, & præſentiæ, auxilij, mitigationis & liberationis diuinæ ſe ſuſtentabat: & veræ ac ſanctæ viduæ, ſperantis in DEO, & permanentis in precibus, & ab omni faſtu, curioſitate & laſciuia alienæ, nec vllo geſtu, aut voce, vllam liberioris vitæ ſignifi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

cationem edentis, illuſtre exemplum ac ſpecimen erat. Quare viciſsim eam DEVS ſibi fidentem non deſerens, & pietatem illius, ac pudorem, pudiciciamq́; defendens ac remunerans; rurſum ſplendido ac feliciſsimo matrimonio ornauit. ac eiusdem regis Chriſtiani III. conſilio & opera denuò vſus, illuſtriſsimo & optimo principi noſtro VLRICO, eam coniugem, & Adiutricem fidiſsimam, adiunxit. & annos amplius triginta, incolumem ac florentem, & ſapienter ac feliciter œconomiam principis, & familiæ aulicæ diſciplinam, & alia muneris ſui officia regentem, ſeruauit.

Jn quo coniugij illuſtris & diuturnæ gubernationis curſu felici, cùm Sereniſsimæ principis noſtra Pietas erga Deum: Amor & Fides erga maritum: materna στοργὴ in miniſtros & ſubditos; Beneficentia in pauperes: Pudoris & temperantiæ non Gynecæj ſolùm ſed totius aulicæ familiæ cuſtodia ſeuera: Vigilantia, ſedulitas, induſtria & felicitas in re familiari honeſtis rationi-

bus au-

bus augenda & locupletanda: cui DEVS ipſe illuſtribus teſtimonijs largiſsimè benedixit: Frugalitas & Parſimonia in vitandis ſumtibus non neceſſarijs tempeſtiua: Liberalitas & Magnificentia, vbi res poſtulabat, planè regia: omnes denique virtutes, regiæ matronæ conuenientes, præcipuè enituerint ac effulſerint: ordine ac breuiter de ſingulis, quantum hoc tempore & loco concedetur, ſumma earum decora decerpens, libabo.

Cùm autem fons omnis ſapientiæ & virtutum Deus ſit: faſtigium & apex cæterarum, vera DEI agnitio & cultus caſtus, ſeu religio ſincera eſt, ad quam à teneris vnguiculis princeps noſtra, à pijs & ſanctis regibus, patre Friderico, Sophia matre, & Chriſtiano, adſuefacta, cùm ſciret DEVM, non niſi ipſo DEO, per verbum mentes docente, agnoſci et coli: ſingulis diebus, certas horas, lectioni librorum verbi diuini, & piarum explicationum, accendendæ & confirmandæ aſſenſionis & fidei cauſa, tribuit. ac imprimis poſt Biblia, Lutheri explicationes, ſpiritu et vita plenas, amauit,

uit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

nit, et Tomos operum illius Germanicos quotidiana manu euoluens, ordine perlegit. Deinde, vt ipſi vidimus, vna cum marito, in templis, aßiduè & attentè doctrinam de Deo & ſeruatore noſtro Ieſu Chriſto audiuit, & fidem vſu ſacramentorum publico teſtata eſt, vt verè ad formam in Pſalmi ſententia præſcriptam huius eccleſiæ ſtatus congruerit, in qua conuenerũt populi ſimul & reges vt ſeruiant Domino. Quanta enim in conuentibus eccleſiæ frequentandis noſtrorum Regum aßiduitas fuerit? quoties ambo, Ill. princeps & regia coniunx, hoc ipſo in templo, cœna Domini, in publico cœtu, vnà cum populo, vſi ſint; & exemplo ſuo, efficacius quàm vllis mandatis, ſubditos ad euchariſtiæ vſum, & reuerentiam erga miniſterium verbi & ſacramentorum inuitarint: & ipſi oculis noſtris ſumma cum voluptate aliquoties conſpeximus, & omnes eccleſiæ huius ciues teſtari poſſunt.

Quid autem cogitari in genere humano pulchrius tali ſtatu regni ac reipublicæ poteſt, in quo principes ipſi ſapientes, rectè inuocan-

tes

tes Deum, iuſti, veraces, caſti, temperantes, curant rectè doceri eccleſias, & in gubernatione cuſtodes ſunt pacis & diſciplinæ. populus verò & voce doctrinæ in templis publicè ſonantis commonefactus, & principum exemplo inuitatus, omnia pietatis officia maiore ſtudio facit, & mores ad legum normam regit. Vox docentium in templis vna & conſentiens eſt, ad quam conueniunt, Princeps ipſe, regia coniunx, proceres, populus, nec diſsidiis dogmatum turbatur inuocatio, & publica munificentia iuuantur ſtudia literarum, quæ maximorum in vita bonorum fontes ſunt. Populum verò & ſingulorum fortunas tuetur principis iuſticia & autoritas. Talem fuiſſe, Dei beneficio, ſuperioribus annis, ſub Ill. & optimis principibus Ioanne Alberio & Vlrico, huius Reipublicæ Megapolitanæ ſtatum, & hoc tempore adhuc Dei beneficio vigere: grati erga Deum & principes optimos, agnoſcamus. ac oremus, vt deinceps quoq; eccleſiam inter nos æternam colligat, & ſimilem gubernationem patriæ tribuat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Declarauit autem pietatem erga DEum ſuam, princeps noſtra, non ſolùm veræ de Deo doctrinæ in his eccleſijs ſonantis conſtanti profeßione, & cultu miniſterij publici; verùm etiam in ſuis præfecturis, Graboënſi, & Gryphiſmolæ, quas à priore marito alimentorum loco attributas ſola adminiſtrabat, & plerisq; alijs etiam mariti imperio ſubiectis, ſingulari iudicio ac delectu, eccleſiis, Paſtores pios, moderatos, placidos, & benè eruditos præfici; eorumq; ſtudia et mores, inſpici ſæpè & explorari curauit. ac vt idoneos retinere poſſet, aliquot parochiarũ reditus annuos & ſtipendia auxit.

Virginibus etiam nobilibus, & viduis fortunæ tenuioris, Xenodochium elegans & ſplendidum, ſumptu & induſtria ſua extructum & locupletatum, Rhunæ prope BuZouiam erexit. & Hoſpitalia in aliquot oppidis, Graboniæ, Stargardiæ, Guſtrouiæ, BuZouiæ, Stouenhagæ, eleemoſynis liberalibus auxit. & templa paßim inſtaurauit.

Meminimus enim hoc ipſum templum, Diuæ Ceciliæ, cuius heſterna die nomen eccle-

ſia

ſia recoluit, olim ſacrum; planè deſertum, & horrei horridi inſtar, curribus tantùm reponendis, aliisq́ impedimentis deſtinatum; pia illius cura & munificentia, in hunc modum expoliri, & cum aliis ornamentis, tum verò Ill. principum Megapol. Genealogia arte facta, decorari. cùm quidem requietis monumentum ſibi ac marito id delegiſſet. Dobberanenſis cœnobij templum, in quo, à prima religionis Chriſtianæ in his regionibus plantatione, annis circiter 400, defuncti duces Megapolitani, ac in his etiam prior illius maritus, Dux Magnus, conditi erant; cùm in huius ſeculi religionis mutatione, Chriſto non ſeruiens, principum fiſco ceßiſſet, ac negligentius ſartum tectum paßim perplueret: monitrix & hortatrix principibus fuit, vt pietatem & obſeruantiam inclytis maioribus ſuis debitam, conſeruatione huius templi teſtarentur, nec ante deſtitit, quàm ſumptu non exiguo refectum eſt.

Poſt hanc Dei & rerum diuinarum curam, præcipua Dominæ noſtræ diligentia & ſollicitudo fuit, vt omni officio, reuerentia &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

ſuauitate, marito principi, animum & ſtudium ſubiectiſsimum, coniugalemq́ fidem, & Amorem ſincerum et ardentem, ſine vlla moroſitate, faſtidio, ſimulatione, pleonexia, ſuſpicionibus, aut diffidentia, declararet. Vt enim natura Heroica, aperta, amantiſsima veritatis, inimica ſimulationum, in vtroq; coniuge fuit: quæ in omni eorum vita, & gubernatione etiam, non inani ſpe, aliarum aularum more, quenquam lactantium, ſed apertè ſi nollent negantium, vel conſtanter cùm promiſiſſent, ſeruantium, elucebat: ita maximè inter coniuges ipſos, ſincera, candida, aperta, ſimplicia, plana, ingenua omnia; nihil obſcurum, fictum, fucatum, occultum aut ſimulatum fuit. ac vt de S. Martino Fortunatus cecinit: Vir, cui Chriſtus amor, Chriſtus timor, omnia Chriſtus: ita noſtræ Dominæ poſt Chriſtum omnia princeps maritus erat. Hunc velut vnicum ſuum ſummum in his terris bonum expetere et amare: in eo vno & ſolo adquieſcere & lætari: huic gata dicere & facere ex animo ſtudere: hunc curis & laboribus gubernationis

feſſum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

feſſum ac ſubtriſtem, tempeſtiuis ſermonibus & officiis recreare: de eo libentiſſime cogitare, loqui, & ſollicitudinem pro illius incolumitate ſuam aliis aperire: omnia ſua ipſi impendere & conſecrare: omnia quæ ipſi grata & iucunda eſſent, prompto & læto animo ſummaq; cum alacritate obire: nulla pro ſalute mariti pericula, nullos labores & difficultates recuſare.

Etſi enim, DEI beneficio ſingulari, tranquillum & feliciſsimum vitæ ac coniugij curſum, ambo hi coniuges tenuerunt: tamen non minorem, in noſtra principe, quàm in Sulpitia Lentuli, Alceſtide Admeti, Ida Guelfi, Elizabetha Thuringica & Danica, quarum in rebus aduerſis et maritorum calamitibus potiſsimùm virtus effulſit: amorem & Fidem erga maritum fuiſſe, ſcimus. Elizabethæ Thuringicæ, inter diuas relatæ, memoriam, orbis Chriſtianus ante quatriduum celebrauit. quæ, Andreæ regis Vngariæ, et Gertrudis Andexianæ Bauaræ, ob qualeſcunq; ſuſpiciones mariti iuſſu interfectæ, filia: fortaſsis etiam matris

cala-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

calamitate mota maiori pietate ac modeſtia ſeſe rexit: ac Ludoico ſancto, Turingiæ & Haßiæ principi nupta, maritum ſexto coniugij anno, cùm Friderico II. Imp. in Palæſtinam profecturum, Brunduſij abſentem amiſit. Ipſi, à mariti fratre Henrico, ex Turingia eiectæ, & filio, quem ex Ludoico ſuſceperat interfecto, Marpurgam in Haßia leuir attribuit, vt vitæ reliquæ alimenta inde haberet. vbi hoſpitale, quod adhuc extat, condidit, & paulò poſt, curis, doloribus & ærumnis confecta deceßit. Elizabetham Caroli V. Imp. ſororem, Daniæ regi Chriſtierno II. nuptam, aliquot in his gentibus ſenes adhuc meminerunt, comitem exiliorum & magnarum ærumnarum mariti culpa attractarum fuiſſe, & regnum ſine marito oblatum accipere recuſaſſe. Guelfi vxor, comes belli, obſidionis & famis mariti in arce VVemsberg, cùm ab hoſte victore conceſſum eſſet, vt ſalua cum ſuis rebus, quas geſtare poſſet, abiret; ipſa monilibus cunctis & mundo muliebri relicto, maritum in humeros ſublatum aſportauit. Minyarum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

vxores, commutato cum maritis, in carcere Spartano ſupplicium expectantibus, habitu, pro illis ſe mortis periculo expoſuerunt. Quæ omnes, triſtibus & acerbis maritorum ſuorum caſibus nobilitatæ ſunt. At noſtra princeps, placidum, felicem, proſperum, in ſumma dignitate et ſplendore, coniugij curſum, totos 30 annos cum marito, nullis interpolatũ Tragicis calamitatibus (quas iuſte viuendo & ſapienter cauendo euitabant) perpetuò retinuit. Quod igitur Cicero, præclarum Catonis facinus, qui victus mortem ſibi conſciſcere, quàm viuus Tyranno ſeruire maluit, prædicantibus, reſpondit: Iſtud quidem, cùm volam, licebit: Demus modò operam, ne tam ſit nobis neceſſe, quàm fuit illi: ſic noſtra Heroina, fœminas illas, naufragiis maritorum iactatas, ex portu tranquillo ſpectare tutò, & prouidere maluit, vt principi marito florenti, ac proſperæ fortunæ luce perpetuò clarenti, potius quàm in ſimiles cum illis tempeſtates & fluctus deiecto, amorem ſuum & fidem ſinceram ac conſtantem probaret.

Filiam ex marito principe vnicam ſuſcepit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Sophiam, auiæ maternæ nomen referentem, & ingenij ac virtutis maternæ hæredem. quæ, inclyto Danorum regi connubio iuncta, ſolis inſtar, clariſsimâ regiæ bonitatis et benignitatis luce, regnum vniuerſum illuſtrat, & certo regni ac gloriæ paternæ ſucceſſore, & aliis aliquot generoſiſs. filiis, & filiabus regiis, auget & exornat. Quos in hanc lucem primùm natos, pleroſq́; rex, noſtræ Dominæ, quam ob prudentiam, induſtriam ac fidem ſibi ac ſuis perſpectam, vt matrem colebat & venerabatur; fouendos ac educandos commendauit. ſic primæ nutricationis moleſtias ipſa ſuſtinens, paululùm ætate & viribus confirmatos, cùm maiori voluptati & oblectationi eſſe parentibus poterant, genero remittebat.

Maternam verò στοργὴν *ac beneuolentiam non erga filiam modò ex ſe natam & nepotes, ſed domeſticis etiam miniſtris, & virginibus aulicis, omnibusq́; ſubditis, ſuo ordine conuenientem, vultu, voce & veris officiis oſtendit. Lucebat ex oculis Dominæ, ingenij non modò acumen, verùm bonitas etiam, ac humanitas: regia tamen grauitate & maieſtate ſemper tempe-*

rata

rata. Domeſticos ac notos comiter affabatur, & in familiaribus colloquiis, quibus modeſtis ac ſobriis præcipuè delectabatur, in aliis compellandis, in audiendo, in reſpondendo, in officiis præſtandis, ſine ſupercilio, moroſitate et faſtidio, beneuolentiam erga eos ſuam, cum quadam ſuauitate declarabat. rurſus ad nutum præſto eſſe, & mandatos officij labores ſedulò ac fideliter obire, ſingulos oportebat. nec, vbi ſeueritate opus erat, vel vultus, vel oratio acrior & auſterior deerat. Victum familiæ aulicæ, vt mater φιλόστοργος, liberis ſuis, mundum ac ſalubrem, non reſtrictè & ſordidè, ſed benignè & largè præbuit. Multos ex miniſtris, & virginibus, & ancillas etiam pauperes, dotatas, matrimoniis honeſtis elocauit. Quas non ad ocium, voluptates, delitias & luxum aſſueſcere ſinebat, ſed aſsiduis operis ac penſis diſtributis exerceri, & honeſtis laboribus ad œconomias deinceps regendas, præparari volebat.

Domina ipſa exemplo grauitatis, modeſtiæ, pudoris, vigilantiæ, aſsiduitatis, Gynæceo ac reliquæ familiæ prælucebat. ac vt nullæ in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

ipſa ſignificationes vitæ liberioris, non geſtus indecentior, non oculi laſciuientes, non ioci aut fabellæ lepidiores, quàm honeſtiſsimam matronam decerent, vnq̃ animaduerſæ ſunt: ſic Filiam, nunc Daniæ reginam inclytam, & nobiles virgines, ac miniſtras, ad ſimilem morum puritatem & caſtitatem adſuefecit. & in reliquo comitatu aulico, ſi quos impudicia & libidinibus contaminatos reſciſcebat, emendare vitam, aut diſcedere ex conuictu ſuorum iuſsit. vt verè appareat, plus in hac aula, pudoris, verecundiæ, ſobrietatis, modeſtiæ, temperantiæ, quàm in Academiis quibuſdam, aut Monaſteriis fuiſſe. Scimus paſsim in aulis, fœminas & virgines regias, chartarum vel aliis luſibus; quaſdam ferarum venatu, qui mortem Mariæ Burgundæ, Caroli V. auiæ, accelerauit; quaſdam inſtrumentis muſicis, choreis aliisúe voluptatibus laſciuioribus ſe oblectare, et tempus fallendo dies ſibi breuiores efficere. At noſtra Heroina, ſublimiorem ſe iudicans, quàm vt plebeiis hiſce & ſordidis voluptatibus, celſitudine ſua indignis, ſe dederet: ſummam voluptatem & lætitiam, ex cariſsimi principis mariti

incolu-

incolumitate; ex Reipublicæ & eccleſiarum tranquillitate; ciuium emendatis moribus; diſciplina familiæ aulicæ honeſta: œconomiæ in præfecturis, agricolationis & rei pecuariæ in villis curatione legitima: cubiculis, lectis, & reliqua ſupellectile in arcibus copioſa & munda: & Hortorum, arcibus coniunctorum, cultura & amœnitate, ſimilibusq; rebus, ſe percipere & conſectari, oſtendebat.

Moderationem verò & temperantiam in victu ſummam ſeruare, & ab omni huius generis voluptatum delicatiorum intemperie, certo animi iudicio ac decreto conſtanter Dominam noſtram abhorrere, nec extra prandij & cœnæ vſitata tempora, quidq̃ cibi, potionisq́; adhibere ſolitam eſſe, omnes ſciunt. Norat enim, frugalem & ſobriam diætam, non modò bonæ valetudinis corporum, & vigoris ingenij ac ſenſuum alumnam, ſed etiam prudentiæ, Inuocationis, diligentiæ, circumſpectionis, caſtitatis, & plurimarum virtutum aliarum Nutricem eſſe. E contra mentem, immoderato obſtupefactam & depreſſam potu & paſtu, intentionem nullam in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

cogitatione de Deo, in quotidiana inuocatione, in conſiliis, & totius vitæ gubernatione neceſſariam, præſtare poſſe, & ſenſum timoris Dei, pœnitentiam, meditationem, inuocationem, multipliciter intemperantiâ impediri: & confirmari ſecuritatem: & multa incendia cupiditatum & libidinum ali & augeri. vt verè dixit ille, Voluptates, latronum more, in hoc nos amplecti, vt ſtrangulent.

Difficile verò eſſe, in magna delitiarum omnium adfluentia & copia, ſobrium & abſtinentem manere; princeps in Romana Republica olim florentiſsimus Lucullus etiam demonſtrat. Is cùm crebro conuiuia magnifice inſtitueret: ſeruum habuit, qui auidius voranti & haurienti manus deducebat: eaq; in re ſeruo ſuo facilius, quàm ſibi ipſi, parebat. cuiuſmodi tamen ſeruulum nobis ſingulis vtilem ſæpè ac neceſſarium fore omnes experimur. At noſtra Heroina, in ſumma rerum omnium ad victus delitias pertinentium facultate & abundantia, & quotidiani apparatus ſplendore regio, voluptatibus vndiq; circumfuſis, non ſecus ac ſi in egeſtate &

pau-

pauperie extrema, nullæ in oculos incurrerent, nec præſentia ſua ſenſum appetentiamq́; irritarent, ſponte mentem & manus abſtinebat.

Nec in victu ſolùm, ſed omni reliquo corporis habitu, veſtitu, inceſſu, decorem ac modum, ſuæ dignitati & perſonæ conuenientem ſeruabat. Cumq́; ſingulis ferè luſtris, paßim in aulis & ciuitatibus, non mulierculæ ſolùm curioſæ & virgines, ſed adoleſcentes etiam in ſcholis & viri, imò Senatores in oppidis, qui grauitatis & conſtantiæ exemplo aliis præire debebant; nouas in veſtitu formas ineptas vſurparent: princeps noſtra, vſitatum Heroinis harum gentium, à parentum & auorum memoria, cultum ornatumq́; corporis honeſtißimum, toto vitæ tempore retinuit. Apud Pontanum in dialogis, cuidam interroganti alium, quid de rege Gallico Carolo VIII, qui tum occuparat Neapolin, ſentiat? an iudicet eum eſſe ſapientem? reſpondet alter, Quomodo eſſet ſapiens, cùm adeo curta veſte vtatur. Etſi autem veſtis non adfert nec aufert ſapientiam, tamen adfectatio indecori cultus, ſtultitiam & leuitatem animi ſignificat, & offendit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

dit honeſtos & graues viros, qui, toties proximis annis, monſtroſas in veſtitu ineptias, & nouas ſubinde formas excogitari cernentes, certa monſtroſi animi et leuitatis ingeniorũ indicia et ſigna non fallentia eſſe judicarunt. Verè enim ſapiens Syracides; veſtitus, inquit, riſus, & inceſſus, produnt hominis ingenium. nam vox quædam eſt animi, corporis geſtus: & animi habitus in corporis motu & inceſſu cernitur. ac verſicolor inprimis habitus, nunc paſsim inter adoleſcentes etiam in Academiis irrepens, certum animi peruerſi, varij, et vani, argumentum eſt. Sæpe etiam impendentium mutationum publicarum præſagia ſunt mutationes morum in veſtitu antiquorum. ſicut ipſe, in ea vrbe, cuius nunc 36. annos hoſpes ſum, abiectionem honeſtiſsimi veſtitus veteris, omnibus tum ciuibus, nunc conſulibus vix ſolis vſitati, triſtem totius publici ſtatus conuerſionem, & alias ingentes miſerias, ſecutas, vidi.

Sed ad Illuſtriſsimæ principis noſtræ virtutum decora redeo. cuius in omni vitæ ratione modum ac ſobrietatem, VIGILantia etiam ſingulares comitata eſt, & attentio, cura, diligentia

aſsi-

aſsiduitas tum in cæteris vocationis negociis, tum in re familiari tuenda & augenda. cuius curationem princeps, gubernandæ Reipub., et iuſticiæ administrandæ, et diſciplinæ ac pacis fouendæ laboribus, obrutus, coniugi bona ex parte relinquebat. Æſtate media, in primo crepuſculo ſæpe paucis virginibus comitata, in villas vicinas, ciſio excurrit, & an tempeſtiuè ſurrexiſſent villicæ, & officium ſuum ſedulò facerent? explorauit. Omnium œconomiarum, in ſingulis diœceſibus, non ſupellectilem modò & reditus, ſed agricolationis etiam & paſtionis vniuerſæ conditionem norat. Montes & campos, arenarum cumulis obrutos, ideoq; frugum ſteriles & incultos, conſeri ſeminibus picearum, aliarumq; arborum plantis, curabat. Matronis & ancillis paſsim in villis & principis arcibus, lini faſces & penſa diſtribuebat, quæ conſtituto tempore abſoluerent. nullum deniq; prudentis, induſtriæ, ac ſedulæ matrisfamilias officium ſe indignum iudicabat.

Quare Deo, ipſius diligentiæ et manibus honeſtis, quibus omnia lætius prouenire veteres dixerunt, largiſsimè benedicente, ſumma omnium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

rerum vitæ neceſſariarum vbertas & copia, & magnæ opes, quæ totius gubernationis & rerum agendarum nerui ſunt, non acciſis iniuſtè & expilatis populis, ſed diligentiâ & parſimoniâ innocenter paratæ, et modeſtè habitæ, in manu principum ſemper fuerunt, Quas non inconſideratè & temerè, in Luculleas ædificationes, Heliogabali conuiuia, Neronis ludos, vel cultum corporis immodicum profuderunt. vt Lollia Paulina, Caij principis matrona, quadringenties ſeſtertium ſeu decies centena millia coronatorum, in vnius diei ornatum inſumſit. & apud multos potentes, nullus propè iam mortalis æſtimatur pluris, quàm qui peritiſsimè cenſum Domini mergit, alius inſanis ſubſtructionum molibus erigendis, mox iterum collapſuris: alius apparandis Sybariticis conuiuiis, pompis, ludis: alius Alchimiæ impoſturis: alius bello & militibus alendis. ſicut Galenus in prima ſtatim pagina, Diuites pleroſq;, Ficis, quæ in præruptis ſcopulis inuiæ ſolitudinis ſitæ ſint, ſimiles videri ait: Quarum fructus dulciſsimos, non homines, quibus nulli ad eos aditus pateant, ſed accipitres, corui, et graculi

deuo-

deuorent. ſic quorundam principum fortunas & opes, ſæpè non à viris probis & virtute eximia præditis, ſed aliis longè diſsimilibus abſumi.

Noſtra verò princeps, vt fida & prudens œconoma, Fiſcum principis, non Danaidum dolium, ſed certum ac perpetuum Theſaurum eſſe volebat. vnde ad ſumtus Gubernationis neceſſarios: alendam liberaliter aulæ familiam; danda tempeſtiuè miniſtris ſtipeudia; hoſpites honeſtè excipiendos; ad vtiles & neceſſarias ædificationes; ad ſumptus iudiciorum & alia pacis præſidia; ad legationes; ad danda bene meritis præmia, & reliq̃ regiæ liberalitatis ac munificentiæ materiem, ſuo tempore & loco depromere largiter poſſet. Itaq; cùm liberalitatis fundum et fontem eſſe frugalitatem & parſimoniam ſciret: diligenter ſeruare ſua & coſtodire, & vigilantia ac induſtria augere ſolebat, et omnes profuſiones inutiles vitabat. Nec tamen poſsideri magis quàm poſsidere pecuniam videbatur. Verùm vt Cimonem, ingentes paraſſe opes, vt iis vteretur; vſum autem eſſe, vt honore ornaretur, veteres dixerunt: ſic Domina noſtra, pia & larga manu,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Deo primùm, cui accepta omnia ferebat, pietatem & gratitudinem ſuam declarabat. ac verè, vt in Nazianzeni carmine eſt, ἄρτος, χιτὼν, μητὴρ τε καὶ λιμὴν ἔην πεινῶσι, γυμνοῖς, ὀρφανοῖς, τοῖς ἐν ζάλῃ. *Panis, veſtis, mater, & portus erat, Eſurientibus, nudis, orbis, & tempeſtate iactatis.*

Deinde, ædificiis vtilibus multis hanc ditionem paßim ornauit, & Reipublicæ ac poſteritati profuit. Nam & Graboënſis præfecturæ Arcem, ſua induſtria ſumptibusq́, elegantißimè diſtinctis ad commoditatem et ſplendorem regium conclauibus, ex fundamentis extruxit. & templa aliquot ac hoſpitalia inſtaurauit. & in omnibus præfecturis, domuum principis ædificia meliora et nitidiora, & œconomiarum reditus fructuoſiores & vberiores reddidit. Hoſpitibus verò & principum legatis, omnia abunde lautè & magnificè ſemper præbita. Aliquoties etiam Sereniß. Daniæ regem, Auguſtum Saxoniæ ducem, Brandeburgenſem, Holſatum & alios principes,(quorum beneuolentiam, & cum prinpe marito coniunctionem et concordiam, ſuo etiam loco, ſingulari ſtudio & arte fouere ac tueri

ſole-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

ſolebat) inuitatos Hoſpites, ita dierum aliquot ſolennibus conuiuiis, & omnibus, qui accederent, lautè paſtis & recreatis, accepit, vt cum Arturi regis Britannorum magnificentia & ſplendore certare videretur.

Semper tamen, in medio ſplendoris regij & oſtentationis pomparum aulæ, & rerum omnium ad voluntatem fluentium curſu, memor imbecillitatis & fragilitatis vitæ & omnis gloriæ humanæ, verno flore fugacioris, & Mortis omnes homines pares facientis, ac æquo pede pauperum tabernas regumq́ turres pulſantis: retinebat verum timorem Dei, & humilitatem ac modeſtiam nemini ſe coram Deo anteferentem, & tranquillitatem animi, omnia, quæ in his terris accidere poſſent, placidè ferentis. Omnia enim facile contemnit, qui ſe moriturum eſſe, ſeriò cogitat.

Etſi igitur firma & proſpera corporis valetudine perpetuò ferè vtebatur, quam temperantiâ exquiſitâ, & victus moderatione, ac exerciciis profectionum crebris, et œconomiæ laboribus alebat & tuebatur: tamen de morte aſsiduè cogita-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

gitabat. & ſe, pia mortis præmeditatione, ac lectione doctrinæ & conſolationum in euangelio traditarum, ſeria ad Deum conuerſione, & fide in Chriſto pro nobis mortuo & reſuſcitato vitam æternam certò expectante, ad mortem præparabat. Monumentum etiam, & ſandapilam, in qua corporis exuuiæ vſq; ad extremam diem quieturæ conderentur, & ſindonem, cui inuolueretur, confecta in promptu mortis monimenta ſemper habebat. Cùm igitur ineuitabilis illa & fatalis dies abitus ex hac vita aduentaret: præſenti, placido & tranquillo animo, parêre Imperatori ſummo, ex vitæ huius ſtatione eam euocanti, decreuit.

Traiecerat ſuperiore æſtate, cum marito Ill. principe Vlrico, ex vicino Arni fl. oſtio, in Daniam, ad cariſsimos ſibi in toto humano genere amicos, Regem Daniæ generum, & vnicam filiam Reginam, & ex illa neptes ac nepotes generoſiſsimos. Quorum conſpectu & conſuetudine iucundiſsima, & colloquiis dulciſsimis, duos integros menſes, hilarè & ſuauiter recreata; cùm in reditu, à rege & Regina comitata, Giedsgar-

dam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

in Falſtria, incolumis & vegeta, cum marito appuliſſet: multos dies, perpetuis auſtrorum flatibus aduerſis, in littore Danico detentam, Febris tandem inuaſit. qua, ex interuallis non longis, ſubinde atrocius redeunte ac inualeſcēte, cùm lethalem ſibi eam fore præſagiret; ſine fremitu & indignatione voluntati Dei ſe patienter & placidè ſubiecit, & abiectis omnibus rerum mundanarum curis ac negociis, in vno ac ſolo Deo & redemptore noſtro Jeſu Chriſto pro nobis mortuo ac reſuſcitato, propter quem ſolum immenſa bonitate æternus pater nos fide ad ipſum confugientes in gratiam recipit, & per mortem in beatam & immortalem vitam traductos, diuina luce, ſapientia, iuſticia, gloria & lætícia, in dulciſſima conſuetudine Dei & eccleſiæ cœleſtis complet, in omni æternitate: In hoc, inquam vno & ſolo, omnem ſalutis ſuæ fiduciam, omnes animi ſenſus, omnes cogitationes defixas tenebat. nec vllis de rebus aliis, quàm de Deo, de diuinis promiſſionibus, de Chriſto mediatore, & vitæ præſentis fragilitate ac vanitate, de ſecutura beatitudine et lætitia ſtabili & æterna, loqui cupiebat.

Via-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Viatico corporis & ſanguinis Chriſti, ſtatim accreſcente morbo vſa eſt, vt ardentiorem arctiſſimi fœderis, quod cum noſtrâ naturâ Filius DEI fecit: & perpeſſi pro nobis ſupplicij ac mortis, omniumq́; beneficiorum Chriſti recordationem ac memoriam fidelem, in ſe exuſcitaret: & promiſſionem remiſſionis peccatorum in euangelio ad omnes ſonantem, ſibi ipſi arctius applicaret: & fidem ac Gaudium conſcientiæ, in Deo ſibi propter Chriſtum pro nobis mortuum propicio adquieſcentis: patientiam & conſolationem animi, mortem in conſpectu habentis, veram ac efficacem: & ſpem vitæ ac ſalutis æternæ certam, in ſuo pectore accenderet, aleret & ſtabiliret.

Hac fide & ſpe confirmata, tranquillo & ſedato animo, in vera agnitione & inuocatione Filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti pro nobis mortui & reſuſcitati, piè & placidè, ex hac mortali vita, in eam, quæ ſola vita nominanda eſt, æterni Dei & ſeruatoris noſtri ac eccleſiæ cœleſtis conſuetudinem, Idibus Octobris ineuntibus euocata, diſceſſit. vbi nunc in cœtu cœleſtium Re-

gina

ginarum, Mariæ matris Chriſti, Eliſabethæ matris Baptiſtæ, Eſtheræ, Abigaëlis, & aliarum: patris item Friderici, fratris Chriſtiani, & vtriusq; ſororis Dorotheæ Boruſsicæ & Megapolitanæ verſans; æterni DEI, & filij ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, diuino conſpectu, ſermonibus, ſapientia, iuſticia, vita, lætitia & luce beata fruitur. & Ill. principis vidui, vnicæ filiæ, generi, nepotum, & harum regionum ac regnorum orbis arctoi ſalutem, DEO ardentibus votis commendat.

De hac beata & placida migratione, & Dei æterni ac infiniti boni fruitione, omnium bonorum, ſecretis malis, complexionem & plenitudinem perfectam habente, etſi meritò Dominæ defunctæ gratulamur: tamen noſtra cauſa, Illuſtriſsimum principem fidiſsima & Heroica coniuge, et has ditiones cōmuni matre, tot eximijs Dei donis ornata, orbatas, iuſtiſsimè lugemus.

Sed cùm non naſci nos, nec extingui caſu, verùm Dei voluntate & prouidentia hos euentus regi, & certa vitæ ac mortis tempora ſingulis conſtituta eſſe ſciamus: cogitatione voluntatis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

diuinæ, & beatitudinis æternæ, omnibus electis propoſitæ, ad quam euocata eſt princeps noſtra, dolorem moderemur. ac filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui dixit, Non relinquam vos orphanos: oremus, vt deinceps harum regionum Rempublicam, eccleſias & ſcholas regat; & veræ religionis ac virtutis & doctrinæ ſtudia inter nos ſeruet. Gratias etiam pro beneficijs, quæ per Illuſtriſsimam principem defunctam, patriæ noſtræ, iam quadraginta tres
1543. *annos, ex quo primùm Duci Megapolitano nupſit, larga manu exhibuit, toto pectore agamus. & Illuſtriſsimæ principis memoriam grati conſeruemus. & pietatis, fidei, grauitatis, temperantiæ, caſti pudoris, vigilantiæ, ſedulitatis, diligentiæ, Frugalitatis, ac cæterarum illius virtutum illuſtrium exempla ſtudioſe imitemur.*

DIXI.

ANNVS, MENSIS, & DIES OBITVS.

Ter qVInta oCtobrIs ſeſe trVX SCorpIVs arCtat
NoCte, MegaLbVrgæ gLorIa ELIſa perIt.

M. Georgius Meiſnerus
Lubecenſis F.

STEM-

STEMMA
illuſtriſsimæ principis ac Dominæ
ELISABETHÆ,
à SEDECIM ABAVIS deriuatum.

Ad Monumentum illius, in pariete Templi Guſtrouienſis, artificioſè expreſſum:

Additis aliquot agnatis Daniæ regibus, Ducibus Holſatiæ, & electoribus Brandeburgenſibus.

Item

STEMMA
Jll[mi] *Principis & Domini*
D. VLRICI
& cæterorum DVCVM MEGAPOLITANORVM, itidem à Sedecim Abauis deductum.

F 2

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

CHRISTIANVS IIII. *rex electus* Vlricus. Ioannes. Eliſabe

CHRIS

IOANNES *Dux Megap.* II — SIGISMVNdus Auguſtus *dux Megap.* — SOPHIA *regina Daniæ.* —— FRIDERICVS II. Rex Daniæ. — Anna, *electoris ... niæ coniu*

IOANNES Albertus, *dux Megapol.* ⊕ 1576. ♂ — VLRICVS Dux Megapol. ♃ — ANNA SOPHIA *Ioh. Alberti ducis Megap. coniunx.* ♂ — Fridericus, *du Holſatiæ*

Iohan. Georg. Elect. Brandeb.

Ioachimus II. *El. Brandeb.* ⊕ 1571. — ANNA, *Alberti ducis Megapol. coniunx.* — Dorothea *Alberti ducis Boruſsiæ coniunx.* ♁ — CHRISTIANVS III. Rex Daniæ. ⊕ 1559. — Ioannes *Senior du Holſatiæ* ⊕ 1580

Albertus *dux Pruſsiæ* ♁ ⊕ 1568. — Ioachimus I. *Elect. Brand.* ⊕ 1535. — ANNA *prima coniunx Friderici* —— FRIDERIC REX DAN

Fridericus *marchio Brandeb. in Ansbach.* — Ioannes *elector Brand.* ⊕ 1499 — Dorothea, *regis Chriſtophori vidua.* —— CHRISTIANVS I. Rex Daniæ. ⊕ 14

ALBERTVS *Achilles Germanicus, elector Brandeb.* ⊕ 1486. — Ioannes *marchio Br. Dominus in Voitlandia.* —— Barbara *electoris Saxoniæ filia.* — Theodoricus *comes Aldeburgenſis.* —— Hedwig *ſoror Adolphi ducis Sleſuicenſis & Holſatiæ.*

FRIDERICUS I. *elector Brandeb.* ⊕ 1441. —— Eliſabetha *Friderici ducis Bauariæ filia.* — RODOLPHUS III. *elector. Saxoniæ.* —— Barbara *Lignicenſis.* — CHRISTIANUS *comes Oldenburgenſis.* —— Agnes *comitiſſa ab Honſtein.* — GERARDUS *dux Sleſuicenſis.* —— Catharina *Magni ducis Brunſuicenſis filia.* — VRAtislaus *dux VV gaſtenſis* ⊕ 14

Eliſabetha. Anna. Auguſta. Hedwigis.

CHRISTIANVS *elector Saxoniæ*.

Anna, *Auguſti electoris Saxoniæ coniunx.* | Magnus *in Liuonia* ⊕ 1583. | Dorothea, *VVilhelmi ducis Luneb. coniunx.* | Ioannes, *dux Holſatiæ, iunior.*

Fridericus, *dux Holſatiæ.* | Sophia, *Iohanni duci Megap. deſponſata.* ♃ | Philippus. | Ioh. Adolph. *archiepiſ. Bremen. & Lub.* | SOPHIA, *Friderici II. regis Daniæ coniunx.*

Ioannes *Senior dux Holſatiæ.* ⊕ 1580. | ADOLPHUS, *dux Holſatiæ.* ⊕ 1586. | Fridericus *epiſcopus Hildesheimenſis.* ⊕ 1556. | ELISABETH, *Vlrici ducis Megap. coniunx.* ♃ | Anna. | Dorothea, *Chriſtophori ducis Megapol. coniunx prior.* ⊕ 1575.

FRIDERICUS I. REX DANIÆ. ⊕ 1533. —— SOPHIA, Regina Daniæ. ⊕ 1568.

BVGISLAVS X. *Dux Pomeraniæ.* ⊕ 1523. —— ANNA *Polona.*

ERICVS II. *Dux Pomeraniæ* ⊕ 1474. —— Sophia.

CASIMIRVS *Rex Poloniæ.* ⊕ 1492. —— ELISABETH. ⊕ 1505.

VRATISLAUS IX. *dux VVolgaſtenſis.* ⊕ 1462. —— SOPHIA *Saxonica.*

Bugslaus IX. *dux Pomeraniæ.* —— Maria *Maſouia.*

Vladislaus *rex Poloniæ.* ⊕ 1434. —— SOPHIA *Rutenica.*

ALBERTUS *Imp. Romanus.* ⊕ 1439. —— ELISABETHA *Sigiſmundi Imp. filia.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

IOANNES Dux Megapol. SIGISm. Au guſtus D. M. SOPHIA, *Friderici II.* [*Daniæ re-*]

IOHANNES ALBERTVS, ⊕1576.

VLRICVS Dux Megapolitanus.

Geor-gius.

Magnus, *prior Eliſa-bethæ maritus.* ⊕1550. Sophia, *Erneſti Lu-neb. vxor.* ⊕1541 Vrſula *abbatiſſa Rib-nicenſ.* ⊕1586.

Henricus ⊕1552.

ALBERTVS Dux *Megapol.* ⊕1547.

MAGNVS Dux *Megapol.* ⊕1503. — SOPHIA *Pomerana.*

HENRICVS. ♃ — Dorothea *Marchica.*

Ericus II. Dux *Pomer.* ⊕1474. — Sophia.

Iohannes *dux Megap. fundator Academiæ Roſtochienſis* 1419. — Cathari-na, *Erici ducis Saxon. filia.*

Frideri-cus I. *ele. Brandeb.* ⊕1441. — Eliſabeth *filia Friderici Bauari, proneptis Ludoici Imp.*

Vratiſlaus IX. — Sophia *Saxonica.*

Bugslaus IX. — Maria *Maſouia.*

ALBERTVS Rex *Succiæ.* ⊕1397. Magnus ⊕1384. Henricus *ſuſpenſor, cui Ingelburgis, ſoror Margaritæ reginæ Daniæ,* VValdemari IIII. *filiæ, nupta fuit.*

ALBERTVS *primus Dux Megapolitanus à Carolo* IIII. *Imp. creatus* A. C. 1348.

Nicolaus *puer Roſtochienſis vrbem Daniæ regi ſubiecit* 1314.

VVoldemarus, *plurima priuilegia Roſtochienſibus tribuit.*

Burewinus D. *Roſtochij, ad* S. *Ioannem ſepultus* 1256.

HENRICVS LEO *Megapol. fundator Cœnobij Ribniceuſis.* ⊕1329.

Henricus *Hieroſolymitanus.* ⊕1302.

Iohannes Theologus. ⊕1260.

Henricus Burewinus, *fundator Collegij Guſtrouienſis* 1226. ⊕1228.

Burewinus.

PRIBISLAVS, *ultimus rex Vandalorum primus ad religionem Chriſtianam* [...] *conditor vrbis Roſtochij* 1160, *& Cœnobij* Dobberan 1170.

Io[annes] Br[...]

Albertu[s] *Achilles German.* ⊕1486

VLRI[CVS]

Henric[us]

Vlricus

Ioanne[s]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Daniæ regis coniunx. Eliſabeth.

Georgius. CHRISTOPHORVS, *vxor II. Eliſabeth, Guſtaui Succiæ regis, filia. vxor I. Dorothea, Frid. I. Daniæ regis filia.* CAROLUS.

ANNA, *filia Ioachimi I. Elect. Brandeburgenſis.*

Ioachimus I. Elector Brandeb. ⊕ 1535. — Eliſabeth Danica. ⊕ 1555.

Ioannes Elect. Brand. ⊕ 1499. — Margarita Saxonica.

Ioannes, Rex Daniæ. ⊕ 1513. — Chriſtina Saxonica.

Albertus Achilles German. ⊕ 1486. — Margarita filia Iacobi marchionis Badenſis.

VVilelmus dux Saxoniæ. — Anna filia Alberti Imp.

Chriſtianus I. rex Daniæ ⊕ 1481. — Dorothea filia Ioannis march. Brandenb.

Erneſtus dux Saxoniæ elect. ⊕ 1486. — Eliſaberh Alberti 3. Ducis Bauariæ filia

VLRICVS, *poſtremus ex Stargardiæ ducibus, quo defuncto 1471. ditio Stargardenſis ad Henricum Megapol.* ♃ *redijt.*

Henricus.

Vlricus.

Ioannes *Dux Stargardiæ.* ⊕ 1370.

Catharina, *Vlrici Stargardenſis vxor.*

VVILELMVS, *poſtremus ex Vandaliæ principibus, quo ſine hæredibus maſculis extincto, Vandalia ad Henricum Ducem Megapol.* ♃ *peruenit.*

Ioannes.

Bernardus.

Ioannes.

Ioannes.

Nicolaus.

Ioannes *pacificus.*

Nicolaus *princeps Vandaliæ, Dominus in VVerla, Guſtrouij ſedem aulæ habuit.* ⊕ 1277.

ſtianam conſtanter amplectendam ab Henrico Leone Saxoniæ Duce potentiſſimo adductus;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

EPITAPHIVM
inclytæ Principis & Dominæ
D. ELISABETHÆ,
Sereniſsimi Daniæ Regis FRIDERICI I. filiæ, Illuſtriſsimi atq; optimi Principis & Domini,
D. VLRICI
Ducis Megapolitani &c. coniugis B. M: Giedsgardæ in regno Daniæ, Idib. Octobris Anni 1586, ætatis 63. placidiſsimè ex hac vita euocatæ, & regio monumento in æde D. Ceciliæ Guſtrouij 23. Nouemb. ſepultæ.

VLRICI patriæ patris illuſtriſsima coniunx,
Mater reginæ Danorum filia regis,
Heroina fide celebris, virtute decora,
ELISABETha, ſuæ nunc rurſus iuncta ſorori
DOROTheæ, à cuius complexu morte reuelli
Heu ſola poterat, potuit nec morte reuelli,
Corpus humo, famam dat Muſis, pectora
Chriſto.

IOANNES FREDERVS
Faciebat.

ALIVD.

ALIVD

HEroina, grauis, prudens, induſtria, felix,
Eſther ſancta, vigil Sara, Placilla placens:
Principis VLRici patriæ patris inclyta coniunx
ELISABEtha ſuæ gentis & orbis honos,
Laus, decus, exemplar virtutum digna vocari,
Sola dat oſſa ſolo, mente beata polo.

EPITAPHIVM

Inclytæ Principis & Heroinæ,
D. DOROTHEÆ: SERENISSIMI
Regis Daniæ FRIDERICI I. filiæ, illuſtriſsimi Principis & D. Dn. CHRISTOPHORI Ducis Megapolitani, &c. coniugis, ex hac vita euocatæ Die Martini,
Anno M. D. LXXV.

MONVMENTO INSCVLPTVM.

CHRIStophori Megales-poleos Ducis inclyta
Primi Danorum Friderici filia Regis, (coniunx,
E Sophia illuſtri Pomerana Principe nata,
Quam pietas, quam pura fides, quam gratia mo-
Heroinarum decus effecêre, Deiq́; (rum
Donis DOROTheam fama ſuper æthera notã,
Huc tulit oſſa obiens; animam tu Chriſte tuliſti.
Hæc caræ ELISabeth poſuit monumenta ſorori.

IOANNES FREDERVS F.



Formam Schematum regalium, elegantius ſculptam, cûm typographus non haberet: veterem hunc Typum, qui ſolus in promptu erat, retinuimus. quem, ante Dithmarſicam victoriam, & priusq; inſignibus adderetur Cataphractus, ſculptum eſſe apparet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

HÆc ſunt FRIdrici Danorũ Inſignia Regis
Quælibet ornatur ſtemmate terra ſuo.
DAnia cœruleos ternos ſibi aquoſa LEOnes
Vendicat aurato in, corda nouena, ſolo:
Sicq́ꝫ bipenniferum NORuagia lata LEOnem
Eſt clypei roſeo pingere ſueta ſolo:
Aurea cœruleo ſed enim Diademata ſcuto
Triquetra SVEdiaci ſplendida ſigna ſoli.
Corda nouem LEO tranſiliens animoſus amœ-
VANdalicæ terræ ſigna vetuſta refert: (na,
Corporis alati Philyræ de voce DRAconem
Sanguineo in clypeo vult habitare GOthus.
Cœruleos geminos clypeo flauente LEOnes,
Inclyta SLEſuiacus ſigna Ducatus habet.
Hinc vrens niueo depicta VRtica colore,
Purpureoq́ꝫ refert HOLStica ſigna ſolo.
Candide fulgenti Diademate CYgne triumphãs,
STORmaricæ gentis ſigna venuſta notas.
Palmaq́ꝫ victoris victæ Cataphractus habetur
Enſifer & terræ DIThmarienſis EQues.
Candida CRVX olim docet OLdenburgia ve-
In cruce ſuſpenſum te coluiſſe Deum. (rum
Alternoq́ꝫ TRAbum pictarum Inſigne colore,
Stemma refers comitis DElmenishorſte tui.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

DE

ILLVSTRISS. DVCVM

MEGAPOLITANORVM

INSIGNIBVS.

PRincipis VLRICI clara hæc Inſignia ful-
Heroïs Patriæ Marte togaq́ꝫ patris: (gent,
Emicat ingenuo cuius Clementia vultu,
Aönij columen, præſidiumq́ꝫ chori.
Iuſtitiæq́ꝫ decus, Grauitasq́ꝫ auguſta relucet,
Et ſpectata fides, & pietatis amor.
Heruleæ æternum decus ille & gloria terræ:
Stemmata cui ſummis Regibus orta nitent:
Hoc qui magnanimos rexêre in littore Cimbros,
Quorum fama domum Solis vtranq́ꝫ replet.
Fortibus haud vnq̃ gens vlla potentior armis
Tranſijt in fines, Itala terra tuos:
Quando caput vexit vexillo nobile Tauri,
Martia qui forti cornua fronte gerit.
Arduus huic aſtat Gryphis, cui lumina fulgent
Ignea, quiq́ꝫ refert alitis ora Iouis.
Candor ineſt alis, exornat purpura pectus,
Cæruleus veſtit colla animoſa decor.
Robur habent vngues, ad vim, bellumq́ꝫ parati,
Quos non ipſe truci vicerit ore Leo:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Hos Elephas metuit, prædatoresq́; Dracones,
Hanc impune feram lædere nemo poteſt.
Talia virtutes comitata inſignia belli,
Talia magnorum ſunt monumenta Ducum.
Scilicet Heroum felici Marte potentum,
Immortale manet fortia facta decus.
Hinc Mecleburga potẽs Arx et clariſsima tellus
Orta, ſuæ monſtrat ſplendida ſigna domus.
In medio Clypeus pulcro cælamine ſplendens
Ancilis lapſi cælitus inſtar adeſt.
Inde exorta nitet ſacrato Dextera peplo,
Aureus in digitis annulus vnde micat:
Qui ſignum teſtisq́; DEI bonitatis, & arcti
Fœderis & fidei tempus in omne manet.
O vtinam vigeat domus hæc Meglaburgia ſem-
Deſponſata Deo Sponſa pudica Dei: (per,
Deſponſata cui cultrix Eccleſia CHRISTI
Et ſit Pax ſummis aurea, cara, bonis.
Quæ iuuet ingenuas ſeruetq́; fideliter Artes,
Arx, templũq́; manẽs, ſancta domusq́; Dei.

IOANNES FREDERVS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Etſi tranſpoſitam alicubi vel omiſſam, operarum incuriâ, litera m, ſponte quilibet agnoſcet: tamen cum vacua eſſet pagina, hæc quoq; notare libuit.

C 1. *fac. b. verſu* 8. *lege, noſtræ.* C 1. *verſ.* 16. *matre.* C 2. *v.* 17. Alberto. C 3. *fa. b. v. penult. grata.* C 4. *v.* 16. *calamitatibus.* D 3. *v.* 12. *delicat.* D 4, *fac. b. v. vltimo, laris.* E 2. *v.* 10. *ædif. v.* 17. *cuſtod.* E 2. *f. b. v. penult. principe.* E 4. *v.* 2. *auſtrorum. v.* 5. *redeunte.* G. 3. *poſt verſ.* 12. *inſere,* Magnus Alexeander *caput extitit orbis : ab illo* Regia Bucephali *frontis origo venit:* Cui dux Anthyrius *bello inſuperabilis* Heros, Splendor & Heruleæ *ſtirpis origo, fuit.* Rexit & hoc latè fortes in littore Cimbros,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]

2088.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2088 4° [35,-154]